



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 4. An omnis contractus obligat in conscientia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

rum, cui additur accidens; & hic quintuplex est. 1. Dicitur ad diem, cum præfigitur dies, ante quem non oriatur obligatio solvendi, vel tradendi, aut actio. 2. Sub modo cum additur modus sub quo contractus obliget, v. g. dono tibi hunc equum cum hac obligatione, ut loces domum tuam Titio. 3. Ad causam, cum fit ob aliquam causam. 4. Ad demonstrationem, cum apponitur aliquod signum ad rem, vel personam ostendendam. 5. Sub conditione, cum apponitur aliqua conditio.

Q. 3. Quænam est materia Contractuum?

Resp. Omnia bona, quorum quis, & dominium, & administrationem habet: nam bona illa possunt transferri in dominium, & administrationem, vel usum alterius.

Q. 4. An omnis contractus obligat in conscientia?

Not. 1. Effectus contractus est obligatio, quæ definitur, Juris vinculum, quo astringimur ad aliquid dandum, aut faciendum, aut patiendum, vel non dandum, aut non faciendum. Triplex est obligatio. 1. Merè naturalis, quæ nascitur ex solo Jure naturali, & semper obligat in conscientia, sed non parit actionem in foro externo, 2. Merè civilis, quæ parit actionem in foro externo, ob aliquam præsumptionem falsam, sed non obligat in con-

conscientia. 3. Mixta, quæ & obligat in conscientia, & parit actionem in foro externo.

Not. 2. Contractus solubilis potest ex mutuo contrahentium consensu dissolvi, L. 35. ff. de Reg. Jur. quia uterque contrahens potest cedere Jure suo. Unus tamen obligatus non potest seorsim ab alio resilire, l. 5. Cod. de Obligat. nam alter habet jus in illum vi contractus.

Resp. Omne pactum validum etiam nudum, parit obligationem in conscientia, licet in foro externo non tribuat actionem, nisi juramento confirmetur. *Est communis.* Quia 1. ad talem obligationem, supposita materiæ capacitate, & personarum habilitate, ex natura rei sufficit consensus mutuus signo externo declaratus; nam per illum datur alterum, vel utrique jus aliquod, quod violare non licet. Nec plus Jure gentium requiritur. *Quid enim tam congruum Fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare?* L. 1. ff. de Pact. 2. cap. 1. de Pactis, generaliter deciditur pacta esse custodienda, & ad id paciscentes censurâ compellendos. 3. Lex divina etiam naturalis obligat ad servandam fidem datam; eamque fallere intrinsecè malum est. 4. Alioqui periret bona fides, sine qua stare nequit societas humana.

Dixi, *validum*, nam omnis contractus Jure positivo absolutè irritus nullam parit obligationem in conscientia: quia revera nullus

est; & perinde se habet, ac si factus non esset: cum annullatus sit per legitimam potestatem, cui voluntates, & bona subditorum subjiuntur. Quòd si contractus non sit ipso facto irritus, sed tantum irritandus, obligat in conscientia, donec à iudice irritetur.

Q. 5. An qui habuit animum contrahendi, sed cum voluntate expressa non se obligandi, manet obligatus?

Resp. Si voluntas contrahendi prævaleat voluntati non se obligandi, sitque magis efficax, & absoluta, tunc verè obligatur; nam tunc fit verus contractus, qui necessariò parit obligationem; si verò posterior voluntas prævaleat priori, vel utraque sit æqualis, tunc nullus est contractus; quia deest voluntas efficax verè contrahendi, cum essentialè sit contractui inducere obligationem. Sed tunc ratione injuriæ, qua injustè proximum tecum bona fide contrahentem decepisti, teneris præstare id, quod ei exterius promisisti: nam teneris tollere injustam deceptionem, habendo voluntatem veram te obligandi, & eam implere, si alter velit.

Q. 6. An contractus sine solemnitatibus à jure requisitis factus ligat conscientiam?

Not. Solemnitates sunt quidam ritus, seu con-